



DIÖZESE
INNSBRUCK

Digitales Archiv

Altarprivileg St. Peter Weerberg

Pfarrarchiv Weerberg

23.2.1760

Digitales Archiv

Shelf Mark: 6.7361.A44

CC-BY-NC-ND-Lizenz (4.0)

Creative Commons Namensnennung - Nicht kommerziell - Keine Bearbeitung 4.0 International Lizenz

[urn:nbn:at:at-dai-43403](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:at:at-dai-43403)

CLEMENS PP. XIII.

Venerabili Fratri Episcopo Brixinensi.



Enerabilis Frater salutem & Apostolicam benedictionem. Salvatoris & Domini Nostri JESU Christi vices licet immeriti gerentes in terris ejusque exempla sectantes animabus Christi fidelium in purgatorio existentibus, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverunt, opportuna de Thesauro Ecclesiæ auxilia subministrare studemus, ut illis, quantum divinæ bonitati placuerit, adjunctæ ad cælestem Patriam facilius pervenire valeant. Eapropter Nos Parochiales & Collegiatis Ecclesiis tuarum Civitatis & Diocesis Brixinensis quæ etiam ob earum tum dignitatem tum antiquitatem semper in honore habitæ sunt ac speciali prærogativa pollent, Cælestium munerum largitione decorare volentes supplicationibus quoque tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati revocatis in eis privilegiatis altaribus intuitu Paræciæ, sive in perpetuum, sive ad tempus jam concessis tibi, ut ad septennium proximum tantum semel per te ipsum in qualibet ex Parochialibus & Collegiatis Ecclesiis hujusmodi unum duntaxat Altare Privilegio Apostolico decoratum pro animabus Christi fidelium à purgatorii pœnis liberandis designare valeas, ita ut quoadcunque Sacerdos aliquis Sæcularis vel cujusvis ordinis Congregationis & Instituti Regularis Missam defunctorum pro anima cujuscunque Christi fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit ad prædictum Altare sic per te respectivè designandum celebrabit, anima ipsa de Thesauro Ecclesiæ per modum suffragii Indulgentiam consequatur, & Domini Nostri JESU Christi, ac B.^{mæ} V. MARIE Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus à purgatorii pœnis liberetur, facultatem Auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & impertimur. Non obstantibus Nostræ & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo aliisque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut si in certiorandis Parochis de facultate prædicta tibi tributa aut in expediendis litteris pro designatione Altaris privilegiati in qualibet ex Parochialibus & Collegiatis Ecclesiis hujusmodi aliquid vel minimum detur, aut à Cancellario vel aliis Officialibus Tuis etiam sponte oblatum recipiatur, concessionem à Te ut præmittitur faciendæ nullæ sint eo ipso. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXIV. Septembris MDCCLIX. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Gratis pro DEO & Scriptura.



Pro Dño Card. Passioneo.
Joannes Florius Substitutus.

DECRETUM.

SANCTISSIMUS Dominus Noster CLEMENS PP. XIII. Oratoris Episcopi Brixinensis precibus benignè inclinatus privilegiorum Altaris quotidiani ad septennium extendit ad Curatias, sive Paræcias subsidiarias. Datum ex Secretaria Sacræ Congregationis Indulgentiarum die 23. Februarii 1760.

Fr. Joachimus Card. Protocarrero, Præfectus.

Innoc. de Comitibus S. Congreg. Indulg.
Secretarius.



Auctoritate Apostolica Nobis concessa juxta tenorem superscripti Brevis designamus pro privilegio quotidiano Altare maino Ecclesiæ curato S. Petri in Weerberg Parochia Celsas

ad septennium proximum, quo elapso ad mentem Decreti S. Congregationis Indulgentiarum sub dato 19. Maii 1759. editi pro tota Nostra Diocesi ulteriorem extensionem impetrabimus. Ita ut præsens designatio Parochialibus, Collegiatis, & Curatis Ecclesiis absque renouatione ab ipsis petenda plenariè suffragetur, nisi post lapsum septennii aliud Altare designandum videatur. Civitate Nostra Brixinæ die 24 Martij 1760

Georgius Episcopus

Ad Mandatum Rev.^{mæ} suæ
Celsitudinis pprium.

Georgius Tangel
Secretarius

